

Ad Theodori Abvcaræ Opvscvlvm De Baptismo Fidelivm Ante Christi Adventvm Defvntorvm Per Aqvam, Qvae Ex Eivs Latere Proflvxit, Oder/ Von der Tauffe der Gläubigen/ vor Christi Ankunfft/ durch das Wasser aus seiner heiligen Seite : Exercitatio Theologica

Recusa, [Erscheinungsort nicht ermittelbar]: [Verlag nicht ermittelbar], MDCCXI

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn87573720X>

Druck Freier  Zugang



theologica.

77.

77



Fa-1092(77.)

Tom, LXXXIX.

1. Carolus Ludovicus Noumágnr de Trinitate Christi eo
oconomia gratiae. Ulmae 1716.
2. Seb. Schmid de oblatione Fidelium & Lph. I, 13. 14. 1712. r.
3. — . de venditione Christi chad. xxvii, 9. —. 1688.
4. Jo. Jacob Lunsenhausen contra Anonymi Angli Christianitatis
not mysteriorum Christianismum rathōnalem. 1713.
5. Michael Foerfchius Praef. Rimmebergensis de pacto hominum
cum Demone ad effodrendos thesauros absconditos 1716.
6. Gottlieb Wernsdorff Praef. Jo. Jacobo Ferbero de Theologia
Experimentalis. 1711.
7. Jo. Jacob Ferber pro vir. de Excecatione et induratione spirituali
ad Marc. II. 11. 12. Argent. 1716.
8. Gottlieb Wernsdorff de Theologia Mystica. 1714.
9. Jo. Joachim Zentgraf de Panit. quotidiana. 1697.
10. Jo. Franc. Buddeg Praef. Sibero de Beatitudine oratorum. 1709.
11. — . de Haeresi Arabiorum.
12. Jo. Fridenci Mayeri Paulus Suecorum Apostolus I. Theses
ex Epistola ad Galatas a Suecorum Studijs defendenda. 1709.
13. Jacobus Saalkopff de Spinozismo post Synodum Grybolicam 1708.
14. Martinus Geier ad Ezech. XII, 9. Recusa Witt. 1712.
15. Georgi Henr. Goetz ad Act. X, 44. 45. 46. Tubae. 1712.
16. — . observationes ad chad. XII, 40.
17. 18. 19. — . de Mercatoribus eruditissimis
20. — . Museum Eruditi vanis memorabilibus conspicuum.
21. Jo. Andreas Schmid de literis sanguine Jesu Chr. firmatis.
22. Petrus Zorn de methodo explicandi Phrasaeologiam dogmaticam &
Analoga rituum

23. Jo. Geor. Abicht R. Jesara commentarij in Josuam
 24. Daniel Griebner de Characteribus Pseudo-Prophetarum Jer. xvii, 14.
 25. Jo. Nicolaus Quistorp de Seductionibus ad Act. xxiv, 4. 5.
 26. Thomas Ittrius ad Abucane opusculū de baptismo Fwelliū
 Veb. T. q̄ aquam ex Chnshi lateres.
 27. Jo. David Walthner sub Presid. Budder ad Heb. vii, 22 (21)
 28. Gustav. Geor. Zeltner ad 1 Cor. xi, 10.
 29. Fridenciu. Sigfrid King de Lapidatione Hebraeorū.
 30. Godofredus Ludovici de Missionibus in Indiam.
 31. — Zeltner de Suro Filii Hominis jam exhibito.
 32. Caroli Arnolii Trindā Dissert. Philol. Antiquariarū.
 33. Urbanus Godofredus Siberus de Sanctis columnaribus.
 34. Chnshang Gottlob Schwarz de veterum Codicū ornamentis.
 35. Adami Rechenbergii Epistola ad Rufellium Pavianum.
 36. Jo. Nicolai Hartschmid Theses Anti-Pretistice
 37. — — — De Conventiculis prior Septima
 38. — — — — — posterior Theologica
 39. Jo. Wolfgango Jegeri Acta Esslingensia.
 40. — — — De purgatorio Bunigonis et Poireti.
 41. — — — animadversiones in tractatu chys. d. d. de Gyon
 42. Jo. Andreas Knobloch de Indifferentismo Carolino.
 43. Jo. Hermannus ab Ur Wich de Palinodia fanaticorum
 44. Anonymi repetitio doctrinae fundamenti fidei contra Thomasia
 45. Gustavus Herwich de Böhmi Naturalismo & fidei
 46. Jacobus Schroeter de Haedingen N. T. erroribus Pretistiarū
 47. Jo. Jacobus Terbenus de Fanaticis in rectam rationem junctis
 48. Fridenciu. Jacobus Firmhaber de Methodo Mathematica in
 Theologia

26.

33

3

3

2

2

278.

26.

3

4

4

49.

4

78.

AD
THEODORI ABVCARÆ
OPVSCVLVM
DE

BAPTISMO FIDELIVM
ANTE CHRISTI ADVENTVM
DEFVNCTORVM PER AQVAM,
QVAE EX EIVS LATÈRE
PROFLVXIT,

Sder/

Von der Tauffe der Gläubigen /
vor Christi Ankunfft / durch das Wasser aus sei-
ner heiligen Seite.

EXERCITATIO THEOLOGICA
QVAM
SVB PRAESIDIO

D. THOMAE ITTIGII,
THEOL. PROF. PVBL.

PLACIDA DISQVIVISIONE VENTILANDAM PROPONIT
SEBASTIANVS SPANGENBERG, Lubec.

Recusa, M DCC XI.

25

AD
THEODORI ARVOCARAE
OPUSCULUM

DE

BAPTISMO FIDELIVM
ANTE CHRISTI ADVENTVM
DEFUNCTOVM PER AQVAM
QVAE EX FIVS LATERE
PROFLVXIT

QVAM

VON DER REINHEIT DER ERKLENDERUNG
VOR CHRISTI ANKUNFT DURCH DAS WASSER AUS DER
HEILIGEN QUELLE

EXERCITATIO THEOLOGICA
QVAM

IN BRANSDVICO

D. THOMAE FETTERII
THEOL. PROF. PVBL.

PLACIDA DISCVSSIONE VENTVANDAM PROPONIT
SEBASTIANVS SPANGENBERG, Lipsic.

Revis. MDCCXI.



Synopsis exercitationis hujus

Theologica.

- I. Oraculum Christi de necessitate baptismi, Job. III, 5.
- II. Atempore illius oraculi neminem sine baptismo vel fluminis vel sanguinis salvari potuisse asseruit Fulgentius in tractatu de fide ad Petrum, qui non fuit Diaconus, sed vir militaris.
- III. Eandem sententiam tenuit Scriptor quidam anonymus. Incertae variorum de ea conjectura. Eum refutavit Bernardus.
- IV. Abucaras ob illud Christi oraculum etiam fideles veteris testamenti sine baptismo regnum Dei non ingressos credidit.
- V. Quis Abucaras. Unde sic dictus. Aliqui Carrharum Episcopum faciunt. De urbis illius origine error Cedreni. Dicta etiam Cbarran.
- VI. Hanc urbem Episcopalem fuisse probatur.
- VII. Alii Abucaram Caria Episcopum, & eundem cum Theodoro illo fuisse putant, qui Synodo VIII. contra Photium congregata interfuit.
- VIII. Quid huic sententiae faveat. Quid eidem adversetur. Diverse de Abucara, quando vixerit, sententia. Quid nobis statuendum videatur.
- IX. Abucarae scripta eorumque editiones.
- X. Opusculum, de quo nunc agendum, graece exhibetur cum versione Turriani paululum correcta.
- XI. Questio Abucarae proposita. Abucaras verba Christi ad Nicodemum de baptismo agere recte agnoscit. Varia illius dicti interpretatio. Quomodo Wiclefus illa verba Christi explicaverit.

- XII. Quomodo a plerisque Reformatis, Socinianis & Arminianis exponantur.
- XIII. Quomodo ab Hoornbeckio.
- XIV. Quomodo a Grotio.
- XV. Quomodo ab Hottingero.
- XVI. Quomodo a Coccejo.
- XVII. Quomodo ab Anonymo quodam & Sandio.
- XVIII. Quomodo a Brentio & Erasmo.
- XIX. Fanaticorum interpretationes omiffæ.
- XX. Probatur, verba Christi de baptismo agere, cui regeneratio rectius quam Taurobolio gentilium vel Profelitorum apud Judæos baptismo attribuitur.
- XXI. Confirmatur idem consensu Patrum.
- XXII. Nontamen omnes non baptizati a Dei regno excludendi.
- XXIII. Post institutionem baptisimi multi salvati antequam plena ejus promulgatio fieret, imo & postquam universalis promulgatio ejus facta est, multi necessitate aliqua præventi, sine baptismo damnationem evaserunt, non solum martyres, sed & alii fideles.
- XXIV. De baptismo latronis cum Christo crucifixi inconstans fuit Augustini sententia.
- XXV. Ambrosius, etsi passim absolutam baptisimi necessitatem asserere videatur, Valentiniano tamen Imperatori sine baptismo divi excedenti salutem non denegavit. Quod ejus judicium contra Abaelartum defenditur.
- XXVI. Neque Christianorum parentum infantes sine baptismo decedentes a regno cælorum eliminandi. Sententia eorum, qui infantes, ne baptismo priventur, in utero baptizandos, vel ex utero secandos, vel jam natos venenata, si alia desit, aqua baptizandos, vel accelerandi baptisimi gratia in puteum præcipitandos suaserunt.
- XXVII. Sententia damnantium infantes ἀβαπτιστοὺς, quos inter de statu hujusmodi infantium minus convenit.

XXVIII.

XXVIII. Dominicanorum & Franciscanorum nec non Cathari-
ni & Augustinianorum in Concilio Tridentino contentio. Li-
tere parvulorum ex limbis ad quietis suae turbatores scripta
& hoc anno 1698. Coloniae vulgata.

XXIX. Dura Augustini sententia, ab aliis quoque probata, sed
ab orthodoxis Theologis merito improbata.

XXX. His etiam aliqui Pontificii accedunt, & in his Cassander
aliique ab eo allegati.

XXXI. Fideles V. T. multo minus ad ingressum regni caelorum
baptismo opus habuerunt. Male igitur Abucaras ad proposi-
tam questionem respondet.

XXXII. Cum Abucara figmento cognationem habent quorun-
dam fabula de baptismo Trajani ex orco liberandi, item Pseu-
do-Nicodemi narratio de Sanctorum cum Christo rebaptiza-
torum baptismo in Jordane, item Herma visio de fidelibus
V. T. per Apostolos defunctos baptizatis.

XXXIII. Variæ questiones de aperto Christi latere & fluxu a-
que & sanguinis brevitatis studio omisse.

XXXIV. Aqua ex Christi latere profluens baptismi symbolum.
Eam W. L. rem caelestem baptismi esse putavit. Abucara in-
solentia.

XXXV. Baptismus non pro mortuis institutus.

XXXVI. Abucara error de fidelibus V. T. apud inferos diverten-
tibus.

XXXVII. Reliqua ejus asserta breviter perstringuntur, & finis
hinc exercitationi imponitur.

I. N. J.

I.

DE salutis via a Nicodemo consultus supremus
caelestis sapientiae Magister gravissima asseve-
ratione praemissa omnibus illis, qui ex aqua
& Spiritu renati non fuerint, regni caelorum
aditum videtur praclusisse. Haec enim ejus verba sunt:

A 3

ci. n. v.

ἀμὴν ἀμὴν λέγω σοι, εἰ μὴ τις γεννηθῆ ἔξ ὕδατος καὶ πνεύματος,
 ἔδύναται εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τῶ Θεοῦ, amen amen dico tibi,
nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest ingredi
in regnum Dei.

a) Joh. III, 5.

II. Atque hinc post cœlestis hoc oraculum ex Christi ore
 prolatum neminem præter martyres sine regeneratione
 per baptismum regnum cœlorum & vitam æternam assequi
 potuisse asseruit Ruspensis Episcopus Fulgentius in libro
 de fide seu de regula veræ fidei (b) ad Petrum non Diaco-
 num illum, cui librum de incarnatione & gratia inscripsit,
 ut Blondello (e) & Norisio (d) aliisque vulgari hujus libri
 titulo deceptis visum fuit, sed virum quendam militarem,
 qui Hierosolymam profecturus, & ne quid hæreticæ pra-
 vitatis in oriente sibi obreperet, metuens fidei regulam a
 Fulgentio postulavit, ut Lucas Mangeant Clericus Parisi-
 ensis in sua Fulgentii editione (e) monuit.

b) c. 3. edit. vet. c. 41. edit. nov. p. 119. c) de la primaute de l'Eglise p.
 412. d) hist. Pelag. libr. 2. c. 19. e) præf. & not. p. 500.

III. Hanc Fulgentii sententiam secutus est incogni-
 tus quidam duodecimi seculi Scriptor. Sancto enim Ber-
 nardo Claravallensi Abbati Hugo a S. Victore per episto-
 lam indicavit, fuisse tum nonneminem, qui statueret, ex
 quo tempore a Domino dictum est: *nisi quis renatus fuerit*
ex aqua & Spiritu, non introibit in regnum cœlorum, ex eo, in-
 quam, tempore neminem absque percepto actualiter visi-
 bili Sacramento vel ejus vice martyrio ullatenus potuisse
 salvari, sed, etsi forte quispiam cum vera fide & contritione
 baptismum expeteret, ac præventus mortis articulo asse-
 qui, quod cuperet, non valeret, tamen omnino damnari.
 Fueritne Scriptor ille, cujus nomen in Hugonis epistola

supra videtur præclusisse. Hæc enim eius verba sunt:

suppressum fuisse ex Bernardi responsione constat, Petrus Abaelardus, an Johannes Hispalensis Archiepiscopus, an Hugo Farfitus an alius quispiam, illis, quibus hariolari lubet, divinandum relinquimus. Id constat S. Bernardo opinionem anonymi illius Scriptoris, quem novarum & assertionum inventorem, & inventionum assertorem vocat, adeo non placuisse, ut eam in responsoria ad Hugonem Victorinum epistola, quæ in postremis Bernardi editionibus inter ejus tractatus relata est, (f) pluribus argumentis confutaverit.

f] Tom. 2. opusc. 10.

IV. Quemadmodum autem non defuerunt, qui a tempore nocturni illius & secreti colloqui, quod Christum inter Nicodemum intercessit, neminem exceptis Martyribus sanguine baptizatis sine aquæ baptismo salutum crediderunt: ita Theodorus Abucaras adhuc longius progressus ob illa ipsa Christi ad Nicodemum verba ne illos quidem, qui ante Christi adventum mortui fuerunt, sine prævio baptismo regnum gloriæ ingressos somniavit. Quã sententiam antequam plenius exponamus, de illius autore, & relictis ab eo monumentis pauca præmittemus.

V. Theodorus igitur Abucaras græcus sequioris ævi Scriptor fuit, arabicæ etiam linguæ peritus, quod ex quarto ejus opusculo elucescit, quippe quo epistola de fide Concilii Chalcedonensis continetur, quam a Theodoro Abucara arabice scriptam & a Michaele Ecclesiæ Hierosolymitanæ Presbytero & Syncello græce redditam Thomas Hierosolymitanus Patriarcha ad hæreticos in Armenia misisse dicitur. Et ipsum quoque Abucaræ cognomen tum ex arabica lingua formatum & compositum videtur, nihilque aliud quam Patrem seu Episcopum Caræ denotare. Fuit

33
3
3
2
2
278
4
4
4
4
8

Fuit enim Abucaras, ut in titulis lucubrationum suarum nominari solet *Καρχῶν* *Ἐπίσκοπος*, quo nomine Joh. Baptista Cotelerius (g) illam Mesopotaniæ civitatem designari existimat, quæ Ptolomæo (h), Stephano Bizantio (i), ἀπὸ Καρχαῖ ποταμῆς Συρίας, a Carrha fluvio Syriæ originem hujus nominis derivanti, & aliis *Καρχαῖ*, nonnullis tamen etiam *Κάρσαι* dicitur, ut ex Cedreno (k) patet, qui παρὰ τῆς *Καρχῆς* τῆς βασιλέως seu a Caro Imperatore hanc urbem conditam & denominatam perperam asserit. Multis enim ante Cari imperium seculis

miserando funere Crassus

Assyrias Latino maculavit sanguine Carras,

ut Lucanus (l) canit, unde & Carræ ab Ammiano Marcellino (m) *antiquum oppidum Crassorum & exercitus Romani arumnis insigne* appellatur. Nec dubito, quin hanc ipsam civitatem etiam Franciscus Turrianus intelligat, qui Abucaram in latina quorundam opusculorum ejus versione Episcopum Charran nominat. Carrharum enim civitas, ut Ortelius, (n) Thomas de Pinedo, (o) & alii observarunt, eadem esse creditur cum illa quæ a Mose (p) in Patriarcharum historia Charan & a Græcis interpretibus nec non a Luca (q) *Καρχαῖν* appellatur.

(g) in notis ad Clementinorum homil. 5. p. 662. h) lib. 5. Geograph. c. 18. i) de urbibus p. 301. k) hist. comp. p. 301. l) Phars. lib. 1. m) libr. 23. c. 3. n) thesaur. geograph. in voce Carrhæ. o) in not. ad Steph. de urb. l. c. p) Gen. XI, 32. XII, 4. &c. q) Act. VII, 4.

VI. Episcopalem autem hanc urbem fuisse Carolus a S. Paulo in geographia sua sacra (r) & Lucas Holstenius in annotationibus ad illam geographiam (s) observarunt. Certe Vitus, ad quem Basilii M. (t) epistola extat, *Καρχῶν*, & in MSC. codicibus, ut Combesius (u) in Basilio

lio suo restituto testatur, *καρρῶν* Episcopus nominatur, qui etiam concilio œcumenico secundo seu Constantinopolitano I. subscriptis, ubi Vitis Carrensis appellatur. (x) Ejusdem urbis Episcopus fuit Johannes, qui concilio Chalcedonensi interfuit, (y) & epistolæ Synodicæ Episcoporum provinciæ Osroenæ ad Leonem Imperatorē subscriptis. (z)

r) sub Patriarch. Antioch. p. 303. s) p. 191. t) ep. 314. u) p. 408.

x) Tom. II. concil. Labb. p. 955. y) Tom. IV. concil. p. 83. z) part.

III. actorum concilii Chalced. p. 917.

VII. Num vero & Abucaras noster Carrhenis seu Carrhensibus Episcopis annumerari debeat, haud inter omnes convenit. Nonnulli enim arbitrantur eum *καρρῶν* Episcopum appellari, quod Carum seu incolarum Cariæ Antiites fuerit. Nec ea de re dubitandum foret, si liquido constaret, Theodorum Abucaram non alium fuisse, quam Theodorum illum, qui a Niceta Paphlagone (a) & in actis Synodi octavæ contra Photium celebratæ (b) *καρίας ἐπίσκοπος* seu Cariæ Episcopus insignitur, a Photio, cum adhuc ejus partes tueretur, ad Imperatorem Ludovicum missus, & a Cariensi episcopatu ad Laodicenum promovendus, nisi postea deserto Photio ad Ignatii partes accessisset, & in prædicto concilio rerum pro Photio gestarum veniam petiisset.

a) in vita Ignatii per Raderum gr. & lat. edita. b) act. 2. & 4.

VIII. Et hæc sententia, quam ex Gretsero (c) haustam Lambecius (d) & Nesselius (e) fere ad nauseam inculcant, videtur ex 40. Abucaræ opusculo seu potius opusculi illius titulo confirmari posse, quippe in quo Photii mentio occurrit, ex quo Abucaram illud opusculum hausisse Gretserus in margine suspicatur. Verum hæc opinio cum inscriptione opusculi 18. vix conciliari poterit, quod *διὰ Θεω-
B vñg*

vñs seu per vivam vocem Johannis Damasceni dictatum, aut ex ejus ore depromptum dicitur, unde etiam Abucaras a Turriano Damasceni discipulus cognominari solet. Nam qui viventem Damascenum audivit, Synodo octavæ A. C. 869. contra Photium congregatæ interesse haud potuit, nisi ejus ætatem plurib9 annis integrum seculum superasse dicamus. Præterea jam supra notavimus, quod epigraphæ opusculi 4. epistolam aliquam, quæ ab Abucara arabice scripta & a Michaele Syncello græce reddita fuerat, a Thoma Patriarcha Hierosolymitano ad Armenos missam indicet, unde quodammodo colligi potest, quod Abucaras Thoma Patriarcha paulo antiquior, vel saltem illi coævus fuerit. Thomas autem ille juxta Freheri (f) calculum A. C. 802. Hierosolymitanum patriarchatum obtinuit, &, ut Papebrochius (g) in historia chronologica Patriarcharum Hierosolymitanorum animadvertit, post A. C. 821, quo Theodoro Studitæ de reditu in urbem Constantinopolin gratulatus est, haud diu supervixit. Nec defuerunt, qui Abucaram etiam Damasceno antiquiorem statuerent. Andreas enim Arnoldus in præfatione ad Athanasii Syntagma & alia opuscula a se edita viri cujusdam docti in Anglia meminuit, qui Abucaram ad 7. seculum retulit, nec alia videtur fuisse Possèvini sententia, qui in apparatu suo (h) Theodorum Abucaram cum Theodoro cœnobii in monasterio Raitu Presbytero eundem fuisse asserit. In qua sententiarum varietate, quarum nonnullæ qua facilitate affirmantur, eadem a quo vis negari poterunt, eorum suffragio, qui Abucaram Carrharum Episcopum fuisse, & octavo seculo floruisse statuunt, tantisper subscribimus, quoad certiora doceamur.

c) epist. dedic. ad Velfer. d) Tom. V. Biblioth. Vindob. p. 77. & 358. e) catal. bibl. Cæs. part. 1. p. 254. part. 4. p. 153. part. 6 p. 113. f) chronol.

nol. juri Græcō Romano præmissa. g) Tom. III. Sanctorum Maji fol. XLI. h) Tom. 2. p. 462.

IX. Scripta Abucaræ quantum attinet, tres ejus disputationes, primam de nomine Dei, alteram de Deo & Deitate, & tertiam contra Nestorianos ex latina interpretatione Francisci Turriani edidit Canisius, quem sub nomine Theodori Raituensis illas disputationes edidisse doctissimus homonymoscopiæ autor (i) asserit. Verum non Theodoro monasterii Raituensis Presbytero, sed Theodoro Hagiopolitano illas disputationes a Canisio adscriptas deprehendimus. (k) Nec defuerunt, quibus omnino disputationes illas Theodoro Hagiopolitano seu Antiocheno attribuendas esse videretur. (l) At easdem disputationes inter Theodori Abucaræ opuscula græce & latine a se edita Jacobus Gretserus retulit. Præter Turrianum, qui alia quoque Abucaræ opuscula in latinam linguam transtulit, bene de hoc Scriptore meruit Gilbertus Genebrardus, quippe qui quindecim Abucaræ disputationes contra Tritheitas, Theopaschitas, Jacobitas & alios hæreticos latine vertit & publica luce donavit, Parisiensi Patrum bibliothecæ (m) a Margarino de la Bigne editæ insertas, in quibus quid indices expurgatorii desideraverint, in indice Antonii a Soromajor (n) nec non in indice Bernardi de Sandovall (o) videri poterit. Sed longe plura Abucaræ opuscula nempe 42. græce & latine ex Turriani & sua versione cum Anastasii Sinaitæ hodego Ingolstadii A. C. 1606. Jacobus Gretserus publicavit. Quam editionem Fronto Ducaeus in auctario bibliothecæ Patrum græco-latino Parisiis A. C. 1624. (p) iteravit. Nonnulla tamen ex istis Abucaræ opusculis latino tantum habitu comparent, cum græcum illorum exemplar Gretserus invenire non potuerit, quem defectum ex parte Cotelerius supplevit, qui in

fuis ad constitutiones apostolicas notis (q) opusculum 25. græce exhibuit. Neque hic tacendus Andreas Arnoldus, qui simul cum Athanasii synagmate doctrinæ Abucaræ tractatum de unione & incarnatione græce & latine A. C. 1685. Parisiis publicavit.

i) c. 5. thes. 73. p. 521. k) tomo 4. antiq. lect. part. 1. p. 281. l) Cav. char-
toph. p. 131. m) tomo 4. edit. secund. n) p. 142. o) p. 96. p) Tom.
1. p. 367. q) p. 307. edit. belg.

X. Sed missis nunc cæteris Abucaræ tractatibus illud tantum opusculum breviter expendemus, in quo fideles ante Christi adventum defunctos per aquam, quæ ex aperto Christi latere manavit, baptizatos asserit. Est hoc Abucaræ opusculum inter ea, quæ Gretserus edidit, numero 17. & dialogi more conscriptum, quod cum breve sit, integrum apponemus. Ita ergo se habet: Ἐρωτήθη Ἀβυκαρᾶς παρ' ἀπίστῃ, πῶς τῆς Χριστοῦ τρανώσ ἀποφνημαμένῃς, ὅτι εἰ μὴ γεννηθεὶς ἐξ ὕδατος ἢ πνεύματος ἢ μὴ εἰσέλθῃ εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, δυνατὸν ἐστὶ, ἵνα πρὸς τῆς παρεσσίας αὐτῆς δικαίως μὴ βαπτισθέντας εἰσελθεῖν εἰς αὐτήν; ἢ ἀπεκρίθη. ὁ Χριστὸς ὑπὲρ ἐκείνων ἐβαπτίσθη, ὡς περὶ ἢ ἀπέθανεν ὑπὲρ πάντων, ἐγὼ γὰρ Φησὶν ἐμαυτὸν ἀγιάζω ὑπὲρ καὶ αὐτῶν, πλην ἀλλὰ ἢ σαματικῶς ἐβαπτίσθησαν. B. πῶς ἴστω δυνατὸν; A. ἐκ ὕδατος, ὅτι ἢ πάντῃ οἱ ἀποθνήσκοντες ἀπόλλυται, ἀλλ' ἐν τοῖς στοιχείοις ἀναλύεται, ἐξ ὧν ἢ συνετέθησαν, B. ἕτως ἔχει. A. γέγραπται δὲ, ὅτι κεντηθεὶς τῆ λογγῇ τὴν πλευρὰν ἔρυσεν αἷμα ἢ ὕδωρ ἐκ τῆς πλευρᾶς αὐτοῦ. B. ἢ ἕτως γέγραπται. A. ἐκ ἢ ἀναλυθέντων ἐν τοῖς στοιχείοις ἐκείνῃς τῆ ὕδατος ἢ ἠγάσεν τὰ πάντα, ἢ ἐβάπτισεν ἵνα μεμερισμένῃς καὶ ἀναλυθέντας εἰς τὰ στοιχεία. B. τῆτω τῷ λογῷ ἢ οἱ ἀπίστοι ἢ πάντες ἀπῶς ἐβαπτίσθησαν οἱ προαποθάνοντες. A. ἐχί. ἀλλὰ μόνον τὰ σώματα τῶν πιστῶν, ὧν αἱ ψυχαὶ ἐν τῷ ἁδῇ καλεῖσθαι ἐκείσε τῆ Χριστοῦ, ἢ τῆς ἀγίας αὐτῆς ψυχῆς, ἐπίστευσαν εἰς αὐτόν. ὡς περὶ γὰρ εἰ τις ἀγωγὸς ἢ ῥυαξ ὕδατος ζῶντος δένδρα πολλὰ παραπτηγῶτα, καὶ

παραπεφυσευμένα ἔχων, ἵα μὲν παντελῶς νεκρά κ' ἕρηά, ἵα δὲ ἔτι
 ζῶντα, τί δοκεῖ σοι; πάντα ἵα δένδρα, ἃν ἀπτεται τὸ ὕδωρ ὠφελῶν-
 ται καὶ ἀνιμῶνται τὴν πιότητα κ' τὴν ζῶν; ἢ μόνα τὰ δεκτικὰ ἔχον-
 ἵα δύναμιν ἦτοι ἐκλήμην; τὰ γὰρ τελείως ἕρηά ἔδεν παρα τῆ ὕδατος
 ὠφελῶνται. ἕτως ἔδεν ὠφελήθησαν οἱ ἀπίστοι ἐκ τῆς τῆ ὕδατος
 ἐκείνης εἰς ἵα στοιχεῖα ἀναλύσεως. **Franciscus Turrianus** ita ver-
 tit: *quæstio ab infideli Abucaræ proposita B. infidelis: Quomodo, cum Christus clare dicat, & pronunciet: qui non est natus ex aqua & Spiritu S. non intrabit in regnum cælorum, fieri potest, ut qui ante adventum ejus fuerunt iusti, non baptizati in id ingrediantur? A. Quia Christus pro illis baptizatus est, (debuisset addere Turrianus: quemadmodum & pro omnibus mortuus est) ego enim, inquit, pro illis sanctifico meipsum. Cæterum corporibus etiam baptizati sunt. B. Quomodo hoc fieri potuit? A. Nescis, quod qui moriuntur non penitus in nihilum intereunt, sed potius in elementa, ex quibus composita sunt resolvuntur? B. Sic est. A. Scriptum est, quod latere lancea aperto sanguis & aqua ex latere ejus fluxit. B. Sic sane scriptum est. A. Illa igitur aqua resoluta in elementa Christus omnia sanctificavit, baptizavitque divisos, & resolutos in elementa. B. Hac ratione infideles etiam, & denique omnes baptizati sunt, qui ante fuerant mortui. A. Minime, sed sola corpora fidelium, quorum animæ, cum descendit ad infernum Christus, id est sancta ejus anima, in eum crediderunt. Sicut enim si quis aquæ-ductus aut rivus multas arbores habeat juxta confitas, alias quidem omnino extinctas & aridas, alias vero adhuc viventes & virides, quid tibi videretur, an omnes arbores, quas aqua tangit, utilitatem capiunt, & qualitatem (*ubertatem vel pinguedinem dicere debuisset Turrianus. Est enim in græco textu non ποιότητα sed πιότητα*) ac vitam hauriunt? an illæ solæ, quæ vim ha-*

bent recipiendi & eliciendi? (*attrahendi*)? Quæ enim ex toto siccæ sunt, nihil eis prodest aqua. Sic infidelibus nihil prodest aqua illa, quæ in elementa abiit.

XI. Quæstionem igitur *ωαγα πνευ* a fideli, ut in MSC. codice Bavarico legitur, vel, quod Gretsero magis placuit, *παρ απισ* ab infideli sibi propositam Abucaras dicit de salute fidelium veteris testamenti, de qua ob defectum baptismi dubitari poterat, cum Christus neminem nisi ex aqua & Spiritu renatum seu baptizatum in regnum cælorum intromittere videatur. Ita autem respondet Abucaras, ut verba Christi de baptismo agere non inficietur. Idque unicum est propemodum, quod in Abucaræ responsione approbam. Equidem variis interpretationibus hæc Christi verba obnoxia fuisse deprehendimus. Nam Johannes Wiclefus, si Thomas Waldensis (r) & ex eo Belarminus (s) sententiam illius fideliter retulit, per aquam in his Christi verbis, aquam, quæ ex ejus latere profluxit, intelligendam censuit. Unde Natalis Alexander (t) inter Wiclefi errores & illum memorat, quod aquæ baptismus ad salutem non sit necessarius, sed baptismus Flaminis per merita & effluxum aquæ ex latere crucifixi Salvatoris sufficiat.

r) doctrin. antiquit. fid. cath. Tom. 2. c. 101. s) Tom. 3. controv. libr. 1. de bapt. c. 4. t) secul. 13. & 14. part. 1. p. 465.

XII. Et quotquot ferme baptismum efficax regenerationis medium esse negant, quidvis potius per aquam quam baptismum intelligunt. Nonnulli enim vel copulam hoc loco non connectendi sed exponendi vicem sustinere, adeoque aquam nihil a Spiritu diversum denotare, vel Spiritum sanctum, qui aquæ instar pectora emundat, per figuram Hendyadis aquam & Spiritum h. e. aquam spiritualem

tem ex aqua seu carnalem generationem ad impetrandum
 cœlorum regnum non sufficere, sed insuper nativitatem
 ex Spiritu requiri. Alibi tamen idem Hottingerus (k) a-
 quam & Spiritum hic synonymas voces esse asserit, quasi
 Christus dixisset: ἐξ ὕδατος ἢ πνεύματος ex aqua seu Spiritu.

i) primit. Heidelb. disp. 3. pag. 78. k) thesaur. philolog. pag. 246.

XVI. Coccejus (l) uti in verbis Johannis Baptista
 (m) baptismum Spiritus S. & ignis distinguit, dum Israeli-
 tas Spiritu S. baptizatos asserit, cum Christus in Apосто-
 los & alios credentes Spiritum S. effudit, & credentibus
 evangelio Spiritum adoptionis dedit, igne vero, cum
 Christus iræ suæ ignem in rebelles & refractarios effudit:
 ita etiam in verbis Christi aquam a Spiritu ita discernit, ut
 per aquam Christi obedientiam & sanguinem, quo a pec-
 catis abluimur & purificamur, & per Spiritum Dei spiri-
 tum alios homines facientem intelligat.

l) Tom. 4. p. 90. m) Matth. III, II.

XVII. Multas ex his interpretationibus coactas esse
 quilibet agnoscit. Sed nemo Christi verba pejus torquet
 quam anonymus quidam Scriptor a Sandio (n) in para-
 doxis interpretationibus quatuor evangeliorum allegatus
 qui per nativitatem ex aqua & spiritu immisionem anima-
 rum jam ante existentium in corpora intelligit, verba Chri-
 sti sic interpretatus, quasi homines æque ac diaboli regni
 cœlorum capaces futuri non essent, nisi, quod diaboli
 negatum est, ex aqua & Spiritu renascerentur, h. e. nisi e-
 orum spiritus seu animæ jam ante mundi creationem
 conditæ & postea lapsæ in corpora transmitterentur. Pro
 confirmanda hac sententia adducit, quod aqua sit genera-
 tionis carnalis principium, & quod ex aqua omnia constare
 multi veteres pariter ac moderni Philosophi sentiant.
 Addit

Addit verba Christi etiam sic exponi posse, quasi Christus de semetipso locutus dixisset: nisi quis ex aqua & spiritu renatus fuerit, h. e. nisi Messias incarnatus fuerit, nemo in regnum Dei intrare poterit, vel potius: nisi Messias incarnatus fuerit, thronum & regnum Davidis accipere non poterit. Sed quia Christus paulo post v. 7. ait: oportet vos regenerari, posterior expositio iterum deseritur, & prior, quæ verba Christi de carnali generatione accipit, retinetur. Quæ etsi ex hominibus diabolos incarnatos faciat, Sandio tamen haud displicuit. Nam cum in paradoxis suis Anonymo cuidam hanc verborum Christi interpretationem tribuisset, postea in tractatu de origine animæ (o) eandem tanquam propriam adoptavit.

n) p. 189. o) p. 97.

XVIII. E nostratibus Johannes Brentius in exegefi ad evangelium Johannis, (p) quam nonnulli Zvinglianismi suspicione onerarunt, nativitati primæ ex terra, tanquam crassiore elemento, secundam nativitatem ex superioribus & subtilioribus elementis, qualia sunt aqua & spiritus seu aer opponi arbitratur. Nam de mundi elementis, quæ sunt terra, aqua & aer hic agi ex sequentibus Christi verbis, cum ait: *Spiritus, id est, aer, ubi vult, spirat*, elucescere putat, & ingenium hujus loci exigere ait, ut prima facie nativitatem ex elementis factam intelligamus, quanquam sub metaphora horum vocabulorum longe aliud significetur. Ita igitur verba Christi interpretatur, quasi dixisset: antea natus es ex carne vel terra, quæ nativitas ad justitiam nihil tibi prodest sed obest, proinde ut justificeris, oportet ut ex aliis subtilioribus elementis ex aqua scilicet & aere nascaris. Nisi enim quis ex aqua & spiritu seu aere renatus fuerit, non potest introire in regnum Dei, h. e. nemo potest introire in regnum Dei & justificari, nisi fuerit novus homo factus e mortificatione

C

per

per aquam significata, & e vivificatione per aerem, qui est vita omnium spirantium, adumbrata. Similiter & Erasmus in annotationibus suis duo liquidiora elementa aquam & aerem a Christo proposita philosophatur, ut celestem generationem a terrestri & crassa distingueret. Quam explicationem non minus ac illam de mortificatione ac vivificatione spirituali a Christi mente alienam judicat Calvinus in suo ad Johannis evangelium commentario. Postquam enim dixisset nonnullos sub aquæ nomine veteris hominis abnegationem, & per spiritum novam vitam intelligere, subjicit: *alii tacitam antithesin subesse putant, quasi aquam & spiritum pura scilicet & liquida elementa Christus terrestri & crassa hominum natura opponat. Ita allegorice hoc accipiunt dictum, quasi juberet nos Christus gravem & onerosam carnis massam exuere, & fieri aqua & aeri similes ut sursum tendamus vel saltem non ita degravemur in terram. Sed utraque opinio mihi aliena videtur a Christi mente.* Alibi (q) tamen Brentius per aquam baptismi sacramentum & simul totum externum evangelii ministerium, per spiritum vero non alium intelligit quam Spiritum Sanctum, qui per baptismum donatur & hominem renovat.

p) p. 804. p) homil. 25. in evangel. Johan. p. 134. 135.

XIX. Videmus ergo verba Christi ad Nicodemum variis rationibus exponi, & longe plures addi possent, si quomodo fanatici quidam illud Christi oraculum interpretati fuerint, recensere operæ prærium videretur. Verum delirii istis, quorum aliqua a Becmanno(r) referuntur, commemorandis superfedemus, & potius notamus ex ipsis Christi verbis aliisque circumstantiis abunde colligi posse, quod Christus in illo dicto de baptismi sacramento locutus fuerit.

r) exercit. theol. 21. p. 380.

XX. Loquebatur Christus cum Nicodemo uno ex Pharifæis, qui carnali generatione ex Abrahami profapia inflati consilium Dei de baptismo adspernabantur. (s) Unde Christus necessarium ducebat, ut Nicodemo salutis viam scire cupienti baptismi necessitatem inculcaret, & doceret, non sufficere in regnum cœlorum introituro, quod ex Abrahami stripe prognatus sit, sed alia nativitate opus esse ex aqua & spiritu, cum sine ea nemo Dei regnum intrare possit. Quomodo baptismum clarius describere potuisset? Est enim in baptismo aqua cum Spiritu S. conjuncta, tantæque virtutis, ut hominem regenerare, Deique regnum referare possit. Gentiles Taurobolio suo tantum tribuebant, ut in veteri quadam inscripti-
one legatur: TAUROBOLIO CRIOBOLIOQVE IN ÆTERNUM RENATUS ARAM SACRAVIT. (t) Judæi quoque suis Profelytis per circumcisionem, baptismum, & sacrificii oblationem initiatis novam nativitatem promittebant. (u) Verum quod neque Taurobolium Gentili-
um, nec Profelytorum baptismus præstare potuit, institutum a Christo baptismi Sacramentum revera præstat. Est enim *λατρὸν παλιγγενεσίας καὶ ἀνακαινώσεως* seu lavacrum re-
generationis & renovationis Spiritus S., quo per Dei gratiam & Christi meritum salvi reddimur, ut Apostolus testatur, (x) qui hac baptismi descriptione ad Christi cum Nicodemo colloquentis verba omnino respicere videtur.

s) Luc. VII, 30. t) Salmaf. not. in Æl. Lamprid. p. 180. Rigalt. not. in Cypr. p. 233. u) Selden, de jur. natur. & gent. libr. 2. c. 4. Geier. in Psalm. 39. v. 13. p. 747. x) Tit. III, 4. 5. 6. 7.

XXI. Atque hinc etiam primitivæ ecclesiæ Patres magno consensu verba Christi de baptismo interpretati sunt. E quorum numero Cyprianus, cum adhuc *in tenebris jaceret, & in salo seculi nat abundus ac dubius oberrantibus vestigiis fluctuaret, vita sua nescius veritatis ac lucis alienus,*

C 2

Nico-

Nicodemi instar difficile prorsus ac durum opinabatur, quod in salutem ipsi divina indulgentia pollicebatur, ut quis renasci denuo posset in novam vitam lavacro aquae salutaris animatus, ut ipse in epistola ad Donatum (y) ingenue fateatur, in qua etiam diuinam, quam expertus est gratiam paulo post deprædicat, cum ait: sed postquam unde genitales auxilio superioris ævi labe deteresa in expiatum pectus ac purum desuper se lumen infudit, postquam cœlitus spiritu bauso in novum me hominem natiuitas secunda reparavit, mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa &c. Qua confessione Cyprianus dubio procul ad illam ex aqua & spiritu natiuitatem alludit, quam Christus Nicodemo commendavit, ut alia Cypriani loca, in quibus Christi verba de baptismo clare & aperte explicat, taceamus. Ubi tamen obiter notamus, nonnunquam Cyprianum exemplo Magistri sui Tertulliani in sententia Christi aquam & spiritum male a se invicem divellere, & sola aqua baptismo relicta Spiritum S. unctioni & impositioni manuum tribuere. (z)

y) epist. 1. seu juxta Oxoniensem edit. tract. 1. z) ep. 72. 73.

XXII. Longum nimis foret, omnes alios Patres siue Latinos siue Græcos enumerare, qui verba Christi de baptismo exponenda esse minime dubitarunt. Quamobrem ad Abucaram redimus, qui per natiuitatem ex aqua & spiritu omnibus in regnum Dei introgressuris necessariam baptismum intelligi rectissime statuit, sed in eo hallucinatus est, quod hoc novi testamenti sacramentum illis, qui ante baptismi institutionem e vivis excesserunt, necessarium putavit, cum tamen etiam post baptismi institutionem non omnes, qui baptismo caruerunt, cœlesti regno excludere liceat.

XXIII. Verba enim Christi ad Nicodemum dicentis: nisi quis ex aqua & Spiritu renatus fuerit, regnum Dei intrare non

re non potest, rectissime quidem adversus illos usurpari possunt, qui baptismi necessitatem vel plane tollunt, vel justo laxiorem faciunt, perperam tamen iis abuteretur, si quis baptismi necessitatem nimium constringeret, nec sacramenti hujus privationem ab æternæ salutis dispendio unquam sejungi posse crederet. Multi certe obierunt, antequam ea, quæ Christus Nicodemo in tenebris & quasi in aurem dixerat, ab ejus Apostolis in luce totius mundi prædicarentur, seu antequam sufficiens baptismi promulgatio ubique fieret. Quis illos ob defectum baptismi damnare velit, qui non prius obedire potuerunt? Quin etiam post solennem baptismi promulgationem in toto orbe factam non tam absoluta est baptismi necessitas, quin sola fides ad salutem illis sufficiat, qui baptismi desiderio flagrantis voti sui compotes fieri nequeunt. Neque solis martyribus hoc privilegium indulgeri debet, quod a Gennadio (a) aliisque factum deprehendimus. Cum enim Martyres non suo sed Christi sanguine per fidem apprehenso salutem obtineant, nihil obstat, quo minus & alii fideles Flaminis baptismi imbuti hoc beneficio gaudeant, ut in casu necessitatis baptismi privati æterna salute non priventur.

a) de dogmat. eccles. c. 74.

XXIV. Latronis cum Christo crucifixi exemplo id probavit Augustinus in libris de baptismi (b) & quæstionibus ad Leviticum, (c) sed utrumque locum retractavit, incertum esse asserens, an baptizatus non fuerit. (d) imo quod baptizatus fuerit, magis probabile videri. (e) Unde & alibi (f) ex latronis exemplo nullum præjudicium contra baptismi necessitatem captari aut tentari cupit, cum evinci non possit, quod larro ille ante crucis supplicium baptizatus non fuerit, & præterea credibile videatur, hunc latronem ex aqua illa, quæ de vulnerato

Christi latere emicuit, tanquam sacratissimo baptismo perfusum fuisse. Verum illam speculationem de baptismo latronis per aquam e Christi latere fluentem Augustino relinquimus, & quamvis fieri potuerit, ut inter eos, qui a Johanne vel Christi discipulis baptizati sunt, etiam latro ille fuerit, dubium tamen non est, si ante crucis supplicium baptizatus non fuisset, quod *ἀθανάσιος* Paradisum ingredi potuisset. Quod non invito Augustino asserimus. Dicit enim (g) sine visibili sacramento corde credi ad justitiam & ore fieri confessionem ad salutem, cum ministerium baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit.

b) libr. 4. cap. 22. c) libr. 3. qv. 84. d) libr. 2. retract. c. 18. e) ibid. c. 55. f) libr. 1. de anima & ejus orig. c. 11. g) libr. 4. de baptism. c. 22.

XXV. Ambrosius in suis scriptis baptismi necessitatem passim urget. Afferit (h) *neminem ascendere in regnum caelorum nisi per sacramentum baptismi*, item in verbis Christi ad Nicodemum dictis *nullum excipi, non infantem, non aliqua preventum necessitate*. (i) Afferit, sine aqua non esse regenerationis mysterium, & Catechumenum, nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti, *non posse remissionem accipere peccatorum, nec spiritalis gratiae munus haurire*. (k) Veruntamen idem Ambrosius Valentinianum Imperatorem sine baptismo, at non sine voto baptismi mortuum, gratiam, quam poposcit, impetrasse minime dubitat, (l) unde ea, quae alibi de baptismi necessitate disseruit, non de absoluta necessitate intelligi debere manifestum est, nisi sanctissimum Praesulem sibimet ipsi contradixisse statuamus, aut cum Abaelardo dicere velimus, quod Ambrosius in oratione de obitu Valentiniani, ut sororum defuncti animos leniret, contraria fidei scripserit. (m) A qua sententia longe alienus fuit S. Bernardus, qui in necessitatis articulo *fidem*

33

3

3

2

2

27⁸

4

4

4⁹

8

dem & votum baptismi sufficere probaturus ad Ambrosii
 auctoritatem provocat, quem animadvertit *homini non ba-*
pizato & mortuo fidenter de sola fide salutem præsumere, &
tribuere indubitanter bonæ voluntati, quod defuit facultati. (n)
 Quod fidei contrarium esse dici non potest. Deus enim,
 qui homines ad baptismum obligavit, suam gratiam non
 i. a huic sacramento adstrinxit, ut eos, quibus in temporis
 angustia aut propter aliud impedimentum baptismi suc-
 curri non potest, salvare aut nolit aut nequeat. Israelitas
 in deserto mortuos ob circumcissionis intermissionem
 damnatos non fuisse merito creditur, quia si illa intermis-
 sio ob itineris necessitatem facta cum æternæ mortis pe-
 riculo conjuncta fuisset, Moses eam per tot annos permis-
 surus non fuisset. Si autem Deus gratiosa quadam dispen-
 satione non damnavit Israelitas, qui in deserto ob perpe-
 tua & incerta itinera circumcisi non fuerunt, non est, cur
 nunc gratiam ejus ita coarctemus, ut de salute eorum, qui
 necessitatis casu præventi sine baptismi viatico e mundo
 emigrant, desperandum sit.

h) libr. 2. de Abrah. c. 11 n. 79. i) ibid. num. 84. k) de myster. libr. 4. c.
 20. l) de obitu Valent. c. 51. m) ita Abælardum in epistol. ad Rom.
 p. 564. & epistol. 7. ad Helvissam p. 129. statuisse refert Mabill. not.
 ad Bernard. T. 2. p. 627. n) epistol. 77. seu. tract. ad Hug. Victor. c. 2. n. 7.

XXVI. Nec adultos solum, qui per Dei verbum re-
 generati sunt, sed infantes etiam e Christianis parentibus
 prognatos casus necessitatis a communi regula & ordina-
 ria salutis via, quam Christus Nicodemo præscripsit, exci-
 pit. Fuerunt quidem, qui infantes de partu periclitante
 etiam de æterna salute periclitari statuerunt, ideoque vel
 in utero baptizandos censuerunt, quo baptismi infanti-
 bus succurri posse minime dubitarunt, cum alias divina
 Providentia inculari possit, quod in ordinandis salutis
 mediis defecerit, nec ejusmodi infantibus, qui in matris u-
 tero

tero moriuntur, consuluerit. Alii existimant, ejusmodi infantes uteri latebris adhuc absconditos, & præterea secundinis involutos ab aqua attingi non posse, aut si aquæ aliquid illis applicari possit, ejusmodi baptismum haud magis ratum esse, ac si infans sacco coriaceo inclusus aquæ intingeretur, & corio tantum madefacto corpus ab aquis intactum relinqueretur, (qualem baptismum, ut obiter hoc addamus, Molinæus aliquando Aureliæ peregrisse dicitur, qui infantis tantum fascias aqua adpersisse ex Cudsemii fide perhibetur,) ideoque aliud pro ejusmodi infantibus remedium quærentes in hoc casu matres ad uteri sectionem permittendam obligant, siue boni eventus spes affulgeat, siue hoc sectionis remedium vel matri vel foetui certum interitum minetur. Nullum enim baptismi supplementum per votum hic locum habere tradunt, neque parentum precibus hic aliquid tribui posse judicant, obstante peremptoria Christi sententia, qua viam ad gloriam præcludi & salutem desperatam fieri dicunt, undecunque defectus medii ad gratiam præcise necessarij provenerit. Nec defuerunt, qui infantes jam natos vel aqua mortifera & venenata, si alia deesset, in morbi periculo baptizari, quam sine baptism.º mori maluerunt. Nonnulli etiam infantes in agone constitutos, si aqua illico afferri non possent, accelerandi baptismi causa in puteos & fontes projecerunt. (o)

o) Varias Scholasticorum de his quæstionibus sententias refert Raynaud. in tract. de sectione Cæsarea Tom. XIV. Oper. p. 566. & seq.

XXVII. Et ad hæc aliaque hujusmodi desperata remedia omnes illos nulla alia ratio impulit, quam quod infantes ex aqua & Spiritu non renatos regnum Dei intrare non posse sibi persuaderent. Unde ejusmodi infantes ad beatam Dei visionem minime admitti censuerunt, etsi de infan-

infantium hujusmodi statu convenire inter se non potuerint, dum alii infantes ante baptismum extinctos æternis ignibus addicunt, alii eos a doloribus ignis & vermibus immunes tantum ob defectum beatæ visionis graviter angustiant, alii eos ab omni dolore liberos naturali quadam beatitudine frui somniant, alii alia de infantum illorum statu pariter & loco confingunt. (p)

p) Cof. Gerhard. Conf. cathol. t. 3. p. 899. seq.

XXVIII. In concilio Tridentino Domini cani assererent infantes ante rationis usum absque baptismo morientes post resurrectionem in limbo & tenebris loco subterraneo sed sine igne permansuros. Franciscani vero iis locum super terram & in luce assignabant, nonnullis etiam afferentibus, philosophiæ studio & rerum naturalium cognitioni vacaturos, & singularem inde voluptatem percepturos. Catharinus insuper addebat, a sanctis Angelis aliisque Cœlitibus visitatum iri, ut Petrus Suavis in Historia concilii Tridentini refert, (q) ubi etiam de controversia inter Augustinianos & eundem Catharinum mota nonnulla memoret. Certiora (scilicet!) de statu illorum infantum haud ita pridem ex ipso limbo innotuerunt. Prodierunt enim hoc anno 1698. Coloniae literæ parvulorum sine baptismo mortuorum e limbis ad quietis suæ perturbatores scriptæ. In illis referunt, se tempus suum usque ad Christi adventum jucunde transegisse, multa a Patriarchis narrata cum singulari voluptate audivisse, sæpe & Angelos in limbum descendisse & aliquos ejus incolas in superiorem orbem revocasse, Christum ad inferos descendentem non damnatis concionatum, apud quos operam perditurus fuisset, neque Patriarchis fide & consolatione plenis, sed concionem suam, cujus in epistola Petrina mentio, ad infantes direxisset, illisque promississe,

D

se,

se, quod post resurrectionem & iudicium terram occupaturi essent, nec amplius infantes futuri, sed eam constitutionem habituri, quam acquisituri fuissent, si 33. ætatis annum attigissent, ut reliquas pueriles fabulas illis epistolis contentas silentio involvamus.

p) libr. 2. p. 157.

XXIX. Ita nimirum Auctori illi, quisquis fuerit, qui has literas infantibus in calamum dictavit, hanc controversiam in ludum & jocum convertere placuit. Aliter longe affectus fuit Augustinus, qui ad Hieronymum scribens, cum de statu paruulorum sine baptismo defunctorum aliquid dicendum esset, magnis angustiis se coarctari fatebatur. (1) Et fatemur quidem, Augustinum, cum contra Pelagianos peccatum originale negantes disputaret, in fervore disputationis longius abreptum in rigidiorum de infantibus non baptizatis sententiam incidisse, ut loca ex variis ejus scriptis a Vossio(s) collecta indicant. Unde & nonnulli Augustinum cum armatis equitibus contulerunt, qui, dum in hostes invehuntur, eodem impetu obvios inermes pueros conculcare solent. Cum enim Pelagiani infantes sine baptismo defunctos ob verba Christi ad Nicodemum dicta a regno cœlorum excluderent, iisdem tamen in medio quodam inter cœlum & gehennam loco æternam ac beatam vitam promitterent, quippe quos nulli reatui obnoxios statuebant, Augustinus medium illum seu secundæ felicitatis, ut Pelagiani loqui amabant, locum ita impugnavit, ut infantes citra baptismum defunctos ob peccati originalis labem in gehennam ignis mitti asseruerit. Nec ab isto rigore abhorruit Avitus Viennensis in carmine ad Fuscinam sororem virginem Deo sacratam ita canens: (t)

*Omnibus bis illud gravius se forte carentem
Cœlesti lavacro tenerum mors invida natum
Præripiat dura generatum sorte gehenna,*

Qui-

*Quique genitricis cessat cum filius esse,
Perditionis erit, tristes tunc edita nolent,*

Quae flammis tantum generarint, membra parentes.

Eadem Fulgentii sententia fuit, qui in regula fidei ad Petrum (u) firmissime tenendum & nullatenus dubitandum esse censet, parvulos vel in uteris matrum morientes, vel de matribus natos & sine baptismi sacramento de hoc seculo transeuntes ignis aeterni sempiterno supplicio puniendos fore. Verum quicquid Augustinus, eumque secuti Avitus & Fulgentius, quicquid integra concilia Africana, quicquid alii sive antiquioris sive recentioris ecclesiae doctores, quorum autoritate & consensu Augustinum suum Henricus Norisius(x) aliique Augustiniano Ordini addicti defendere satagunt, probari tamen haud poterit, infantes etiam a Christianis parentibus genitos, si per baptismum regeneriti non fuerint, ad gehennam regulandos aut inferni titutionibus annumerandos esse. Contrarium ex DEI promissionibus, ex statu puerorum Israeliticorum ante octavum diem sive naturali sive violenta morte vivis exemptorum aliisque rationibus, quas hic repetere nolumus, Theologi nostrates evicerunt.

(r) epistol. 28. ad Hieronym. s) libr. 2. part. 3. thes. 4. t) libr. 6. poem. p. 190. u) c. 27. x) vindic. Augustin. sect. 5. p. 32. seq.

XXX. Nec desunt pro hac sententia Pontificiorum quorundam suffragia, e quibus Georgium Cassandrum adduxisse nunc sufficiat. Extat enim inter ejus opera tractatus de infantium baptismo, cujus ultima sectio agit de statu infantium, qui in ecclesia nati citra baptismi sacramentum moriuntur. Ac primum quidem aliorum quorundam recentium ecclesiasticorum Scriptorum judicia adducit, qui Deum misericordiam suam non ita sacramentis alligasse, ut infantes ante baptismum mortuos gratiae suae baptismo & virtute Spiritus Sancti sanctificare non possit, censuerunt, & hanc sententiam variis rationibus probarunt. Adducit Joh.

D 2 Ger-

Gerfonem, (z) Gabrielem Biel, (a) Thomam Cajetanum, (b) Tilmannum Segebergensem (c) & Thomam Elisium Neapolitanum, (d) ac postea eorum argumenta novis rationibus confirmat, tandemque concludit, se paulo latius in hac sententia explicanda divertisse, quod eam opinionem a piis mentibus non alienam, neque divinis literis repugnantem, imo divinæ clementiæ maxime convenientem existimaret, ac valere aliquid ad consolationem piorum parentum, quorum infantuli jam inde ab ipso utero baptismo destinati ante e vita excedunt, quam desiderato baptismo potiri queant, tum vel eo maxime, quod contraria sententia, quæ infantes omnes citra delectum ullum, quibus baptismus non contigit, æterno supplicio damnari censet, usque adeo nonnullis dura atque intoleranda videatur, ut inde ex contrario tenuius & levius de virtute hujus sacramenti sentiendi occasionem sumant.

y) p. 669. z) serm. de nativ. Mar. part. 3. a) in 4. sent. dist. 4. qu. 2. b) in 3. part. Thom. Aquin. quæst. 68. art. 1. & 2. c) de 7. sacram. c. 1. d) clyp. adv. hæres. cap. de baptism. art. 3.

XXXI. Si autem vel maxime probari posset, ab eo tempore, quo baptismi sacramentum institutum est, omnibus hominibus necessitatem baptismi ita incubuisse, ut eo omisso nullam morientes salutem sperare potuerint, & ne infantes quidem excipi debeant, quorum damnationem etiam Florentini concilii definitione Petavius (e) confirmare satagit, inferri tamen inde nequit, eos, qui ante Christi adventum & baptismi institutionem defuncti sunt, baptismo opus habuisse. Quamobrem cum Abucaræ hæc quæstio proponeretur: quomodo fideles veteris testamenti in regnum cœlorum non baptizatos ingredi possibile sit, cum juxta Christi effatum nemo nisi ex aqua & Spiritu renatus illud intrare possit? commodissime respondere potuisset, eos qui ante Christi adventum defuncti sunt, baptismi sacramen-
to ad

to ad ingressum in regnum cœlorum non magis eguisse, quam Abrahami majores circumcisionis sacramento, etsi Abrahamo dictum sit, ex populo Dei excindendos esse, qui hoc Dei pactum non observaverint. Verum ille, nescio an ex simplicitate, an ex affectata novæ & inusitatæ sententiæ gloriola, ad objectum sibi scrupulum non sine multis ambagibus respondet. Ac primum quidem dicit, quod Christus pro illis baptizatus fuerit, & se pro illis sanctificaverit. Verum ipse Abucaras animadvertibat, hanc responsionem ad solvendum propositum dubium non sufficere, cum Christus etiam pro fidelibus novi testamenti se sanctificaverit, neque tamen illi a proprii baptismi obligatione per Christi baptismum liberentur. Itaque addit fideles veteris testamenti etiam in propriis corporibus baptizatos fuisse. Mirum autem hujus baptismi modum comminiscitur. Ait enim fideles in elementa post mortem resolutos, per aquam, quæ ex perfosso Christi latere effluxit, & ipsa quoque in elementa resoluta est, baptizatos fuisse.

e) lib. 9. de Deo c. 11. Tom. 1. dogm. theol.

XXXII. Verum hæc Abucaræ speculatio non magis admittenda est quam eorum fabula, qui Trajani ex orco liberandi animam clanculum baptizatam, aut etiam Imperatorem illum, cum prius ad vitam revocatus fuisset a Gregorio baptizatum somniant; (f) aut Pseudo-Nicodemi narratio, eos, qui cum Christo resuscitato a mortuis resurrexerunt, in Jordane baptizatos fingentis (g), aut Hermæ (h) visio, quam Joh. Baptista Cotelerius (i) hoc commentario illustravit: *Patriarcha, Propheta, ceterique homines justi ante Christi adventum denati, cum virtutibus abundassent, ad ingrediendum in regnum Dei indigebant solummodo sigillo Filii Dei seu baptismate. Quocirca Apostoli & doctores Evangelista, ipsi baptizati, predicaverunt post mortem suam justis mortuis baptismum ad fidem, descenderuntque cum illis in aquam eo*

modo, quo Philippus & Eunuchus descenderunt in aquam, ut hunc ille baptizaret, atque ex aqua ascenderunt, cum hac differentia, quod Apostoli utpote jam donati lavacro regenerationis vivi descenderunt & ascenderunt, justi vero, quia baptismi antea erant expertes, mortui descenderunt, ascenderunt vivi. Quod figmentum dubio procul inter larvati illius Prophetæ (k) somnia pertinet, & si illud Clementi Alexandrino (l) non displicuerit, qui semel atque iterum hunc Hermæ locum allegavit, & familia de Apostolorum apud inferos prædicatione docuit.

f) Leo. Allat. de libr. eccles. Græcorum libr. 2. p. 123. g) Nicod. evangel. non procul a fine. h) libr. 3. simil. 9. c. 16. i) p. 117. k) sic Hermam appellat Blondellus in apolog. sententiæ Hieronymi de Episcopis & Presbyt. p. 16. l) libr. 2. & 6. Stromat.

XXXIII. Et Hermas quidem Patriarchas & alios veteris testamenti fideles, nescio an Stygia an alia inferni alicujus fluminis aqua, ab Apostolis baptizatos fingit. Abucaras autem ab ipso Christo per aquam ex aperto latere fluentem baptizatos dicit. Possimus hac occasione de vulnerato Christi latere & memorabili aqua & sanguinis fluxu, qui hanc lateris apertionem secutus est, prolixè agere, & in varias quæstiones, quæ circa hanc historiam moveri solent, digredi. Verum prolixitatis vitandæ studio quæstiones illas nunc omittimus, de quibus apud Gerhardum in harmonia evangelica, (m) Voetium in disputationibus selectis, (n) Collium in tractatu de Sanguine Christi, (o) Bartholinum in singulari, quem de aperto Christi latere scripsit, tractatu, & alios plura videri poterunt.

m) c. 204. n) part. 2. p. 195. o) libr. 4. disput. 1. c. 1. seqv.

XXXIV. Id tantum notamus, pias esse veterum ecclesiæ Doctorum meditationes, qui duo novi testamenti sacramenta, quippe per aquam & sanguinem adumbrata, ex aperto Christi latere profluxisse ajunt, ut ecclesia & lavacro aquæ

aquæ mundaretur, & poculo sanguinis reficeretur. Nimirum Christus cum aqua & sanguine ad nos venit, ut idem Evangelista scribit, (p) qui fluxum aquæ & sanguinis ex latere Christi a se præfente visum literis consignavit. (q) Nec ignoramus Theologum non incelebrem statuisse, quod aqua, quæ ex Christi latere manavit, in sacramento baptismi tanquam res cœlestis cum vulgari aqua uniat. Eandem aquam, quæ ex perfosso Christi latere profluxit, a Christo intelligi, cum nos ex aqua & spiritu renasci oportere pronuntiavit, Wiclefi fuit sententia superius allegata. Et hac aqua latronem in cruce conversum a Christo baptizatum fuisse Augustinus aliquando statuit, quod itidem supra jam monuimus. At nemini in mentem venit, si Abucaram excipiamus, fideles ante Christi adventum defunctos & in elementa quoad corpora resolutos per aquam ex Christi latere fluentem & in elementa resolutam baptismum accepisse. Astitit cruci Christi S. Johannes, vidit aquam & sanguinem ex vulnerato Christi latere profluentem, & factum hoc sua tanquam oculati testis asseveratione graviter obfirmavit. At de aqua in elementa resoluta & baptizatis omnibus, qui ante Christi tempora per totum terrarum orbem obierant, fidelibus philosophantem non audimus.

p) 1. Joh. v, 6. q) 1. Joh. XIX, 34. 35.

XXXV. Baptismus non pro mortuis sed pro vivis institutus est, unde inter Cataphrygum errores & hunc Philastrius (r) notavit, quod mortuos baptizarunt, qui abusus etiam ab Africanis Patribus (s) merito improbatus fuit. Et ne viventium quidem vicarius pro mortuis baptismus defunctis quicquam prodest, qualis baptismus teste Epiphanio (t) apud Cerinthianos & teste Harmenopulo (u) apud Martionitas viguit. Male ergo Abucaras fideles ante Christi adventum defunctos, quorum aliqui plurimis ante Christi in-

carna-

33
3
3
2
2
278
44
4
49
48


carnationem seculis obierunt, eo demum tempore, quo
Christilatus lancea transfixum est, baptizatos tradit.


r) de hares. c. 49. s) cod. can. eccles. Afric. can. 18. t) hares. 28. u) de sect. c. 12.

XXXVI. Scilicet ex Abucaræ sententia regnum celo-
rum, nisi baptizati forent, ingredi non poterant, quasi eo
tempore, quo Christus passus est, apud inferos divertissent,
donec ipse Christus ad infernum descenderet, quem tan-
tum ratione animæ ad inferos descendisse Abucaras tradit.
Quis vero hæc Abucaræ revelavit? Num forte epistolas
quasdam Patrum e limbo in terram missas habuit, quales
nuper ex infantium limbo missæ sunt? Nobis ex S. Scri-
ptura constat, animas fidelium, qui ante Christum incar-
natum defuncti sunt, simulac e corporibus emigrarunt,
regnum gloriæ intrasse, nec cœli fores ante Christi ad in-
feros descensum occlusas illis fuisse.

XXXVII. Videmus ergo in exiguo hoc Abucaræ opu-
sculo errorem ab errore velut undam ab unda trudi. Nec
melioris notæ sunt, quæ postremo loco differit. Cum enim
infidelis exciperet, ea ratione etiam impios baptizatos fu-
isse, si statuatur, aquam, quæ ex latere Christi scaturivit,
in elementa resolutam mortuos in elementa resolutos baptizasse,
respondet Abucaras, id neququam sequi, cum illi tantum, quo-
rum animæ Christo ad infernum descendenti crediderunt, instar
arborum vegetarum & succum aquæ radicibus suis attrahentium
cœlesti hac aqua salubriter irrigati, reliqui autem perinde ac are-
factæ & mortuæ arbores nullum ex hoc baptismo fructum perci-
pere valuerint. Verum hæc Abucaræ commenta operose impu-
gnare nolumus, cum falsis hypothesibus superstructa sponte &
nullis arietibus admotis corruant, & præfixi nobis brevitatis
limites finem huic exercitationi imponere jubeant,
quod in nomine Dei facimus, cui sit laus &
gloria in secula seculorum,


Amen.





Iria

F
10



et mediis, depellere ualeamus, sicut id in Spinoza
 e praestitere Blyenbergius et Poiretus,
 sicut uero alias ea rebus utilibus et innocuis fata
 nt, ut, dum nimis euehantur, plus noceant,
 nt; ita idem Mathematicis demonstrationibus
 do istis, tanquam argumentis primariis, dogma-
 uersum, ne sanctissimis quidem fidei myste-
 onfirmare conamur. Nam cum Mathematicae
 es unice nitantur euidencia rationis et sensuum,
 turpissima confusio principiorum introduce-
 mentis rationis probentur, quae fundamentis
 istere debebant, Quin (2.) Mathesis et ratio
 ni, sed reuelatio rationi subiiceretur, et haec
 uero ut domina respiceretur. Inde (3.) fides
 superstructa esse debebat, clarissimis scriptu-
 ous, non illis, sed Mathematicis demonstra-
 retur; adeoque (4.) res grauissimae, quae sub
 s nobis commissae sunt, inaedificarentur fun-
 roso, infirmo, et a quouis tentationum uen-
 endo. Imo (5.) ipsa fidei mysteria, non ad di-
 sum, sed ad rationis nostrae mathematizantis
 iperentur. Quibuscunque enim mens nostra
 euit, ad ea plerumque conceptus suos formare
 e rebus spiritualibus, non spirituales, sed mathe-
 ptus foueremus. Ex quo uero (6.) id sequi-
 m omnium sapientissime, addo et solidissime
 rebus loqui uelimus, eas tam misere detor-
 inter se confundamus, ut praeterquam quod
 udibrio turpiter nos exponamus, manibus pe-
 aiunt, in Scepticismum Indifferentismum,
 ismum et Atheismum prolabamur. Quod qui-
 acilius euenire solet, quo plus intellectus no-
 tus a spiritualibus abhorret, et quo periculo-
 s inuenta anteferre reuelationi diuinae,